

Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Comparati mihi  
Witzeb.  
p. mat. 12. q.  
p. hinc. 4. q.  
Al. Joh. Reibel.  
1624.

COLLEGII  
*DE SACRAMENTIS*

Disputatio Decima

*De*

**BAPTISMIMATE.**

RIA ET FORMA,

*Quam*

Annunte JEHOVAH

SUB PRÆSIDIO

**Dn. BALTHASARIS MEISNERI**

S. S. Theol. D. & P. P.

*In Collegio privato examinandam*

*proponit*

**M. PAULUS SPERLINGIUS**

Lauchensis, Alumnus Elect. Saxon.

*Habebitur ad diem 15. Octob. horis pomeridianis*

*in Auditorio minori.*



WITTEBERGÆ,

*Ex Officina Johannis Gormanni,*

ANNO M. DC. XX



VIRIS

*Reverendis, Præstantissimis &  
Doctissimis,*

Dn. PAULO SPERLINGIO  
de LAUCHENSIUM Ecclesia PASTO-  
RI meritissimo.

Dn. JACOBO GÖLNERO Ecclesiæ in  
Bürckscheidung Pastori vigilantissimo.

Dn. ADAMO KESLERO Ecclesiæ in  
Thalwinckel Pastori fidelissimo.

*Dn. Parenti, Affinibus & Fau-  
toribus suis & filiali & summo  
amore prosequendis*

Hasce dissertationes Theologicas  
in debitæ reverentiæ & obser-  
vantia Sacramentum.

D. D.

*M. Paulus Sperlingius Lauchensis  
Autor & Respondens.*

T H E S I S I.

**Q**UAE MADMODUM alias unaquaelibet res ex duobus principis essentialibus usq; arctissime inter se invicem copulatis, materia videlicet & forma, quoad quidditatem suam absolutissime perficitur, ita etiam Baptismus materia & forma tanquam principis suis essentialibus optimeq; conglutinatis quoad quidditatem suam perfectissime absolvitur; attamen ita ut illa ejus fundamentum, hæc verò ipsius determinatio & perfectio merito censeatur; id quod præsens isthæc *Ἀγωγή*, quæ in progressu duorum istorum nostri initiationis Sacramenti essentialium principiorum naturam est edoctura, ad oculum demonstrabit. Nam postquam antehac de ejus definitione, causa efficiente principali & ministeriali egimus, methodus nostra postulat, ut & essentialia ejus principia, materiam, nimirum & formam quodammodo contemplemur, quod etiam hac vice, divinâ adspirante gratiâ, *εὐμετόδως καὶ εὐχηρότως* sumus præstituri.

I I. Itaq; ut à materia exordiamur, illa est duplex, terrena & cœlestis.

III. Materia terrena est aqua vera, pura, munda & naturalis & sine discrimine simplex, vulgaris & obvia: id quod sequentibus testimoniis illustribus probatum damus.

IV. Et α. quidem dictis scripturæ, quorum unum ab ipso Christo; alterum verò ab ejus Apostolo fuit prolatum. Illud quod Christi est habetur Ioh. 3, 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c: hoc quod Apostoli, extat Ephes. 5. v. 26; Christus mundat Ecclesiam suam lavacro aquæ in verbo.

V. β. Exemplo Christi quem aqua Iordanis à Iohanne baptizatum Evangelistæ, Matthæus cap. 3, 16. Marcus cap. 1, 9.

Lucas cap. 3, 21. & Iohannes cap. 1, 32. & 33. unanimi consensu perhibent.

V I. γ. Exemplo Apostolorum de quibus dicitur, quod sola aqua cum ante tum post Christi passionem baptizarint, ubicunq; aquae praesentis copia illis facta fuit, ut videre est Ioh. 3, 22. cap. 4, 2. Act. 2, 41. cap. 8, 38. & alibi.

V II. δ. Certis quibusdam typis partim in V. partim in N. Testamento existentibus. Typi V. Testamenti fuerunt, aqua diluvij Genes. 6, 7. 1. Petr. 3, 21. aqua maris rubri Exod. 14, 22. 1. Corinth. 10, 2. varia lotiones Leviticae. Levit. 15. Hebr. 9, 10. aqua expiationis Num. 19, 2. Hebr. 9, 13. Nov. Testamenti sunt, mare vitreum Apocal. 4. v. 6. fluvius purus aquae vivae procedens de sede DEI & Agni in medio plateae ejus, puta caelestis Hierosolymae, Apocal. 22, vers. 1. Huc etiam Nazianzenus Orat. in S. Lavacrum suffocationem porcorum in mari: Augustinus tract. 44. in Ioh. lotionem & curationem caecinati, referunt.

V III. ε. Summa solius aquae in Baptismo adhibenda necessitate, quae imprimis ab autoritate institutionis divinae dependet, quam mutare nulli creaturae est integrum.

V IX. ζ. Nonnullis analogiis, quarum imprimis tres à Theologis recensentur. Quemadmodum enim 1. per aquam exteriores corporis sordes eluuntur Physicè: sic per aquam Baptismi sordes peccatorum abluuntur hyperphysicè. Et 2. quemadmodum aqua terra rigatur & foecundatur; ita per Baptismum datur Spiritus Sanctus quo vegetamur & frugiferi reddimur. Deniq; 3. quemadmodum aqua sitim corporis sedat & expellit; ita aestus irae divinae in animo peccatoris gratia Baptismi refrigeratur & restinguitur.

X. Plures quidem aliàs analogiae à Scholasticis recensentur, ut quod aqua in se contineat vim refrigerativam, refocil-

focillativam, fœcundativam, ignis extinctivam, imaginis receptivam, luminis susceptivam, impressivam, & virtutem transparentem: Verum quoniam istarum pleraq; longius, quam par est, sunt petita, nostris tribus duntaxat sumus contenti, ceteras illis cum pace relinquentes.

XI. *n.* Testimoniis deniq; Patrum, quæ apud Augustinum tract. 15. & 80. in Iohan. Item de Catechis. cap. 3. Ambrosium libr. 1. de initiand. cap. 4. & Nicephorum libr. 3. cap. 37. possunt videri. Imprimis autem hic notetur autoritas Lombardi qui lib. 4. dist. 3. ita scribit: Celebratur hoc Sacramentum tantum in aqua, vel ideo, ut nullum inopia excusaret, quod posset fieri si in alio liquore fieret; & ut communis materia baptizandi inveniretur apud omnes, quod aqua signavit, quæ de latere CHRISTI manavit, sicut sanguis alterius Sacramenti signum fuit.

XII. Ex quibus omnibus quam manifestissime apparet aquam naturalem, tantummodo esse externam huius Sacramenti materiam. An verò aqua fluminum, sive fontium, sive stagnorum, sive maris usurpetur: Itemq; an aqua sit calida, frigida, vel tepida nihil quicquam ad Sacramenti veritatem atq; integritatē interesse judicamus. Qualitates enim nihil detrahunt substantiæ. CHRISTUS etiam nihil aliud præcepit quam ut baptizaretur aqua, certam v. aquæ qualitatem non expressit. Quippe Iohannes & Discipuli Christi, exfluentis quamvis obviam sumserunt aquam. Unde Arnobius in Psalm. 74. Unum idemq; baptisma in omnibus aquis fluminum, maris, fontium, torrentium, stagnorum, potest celebrari.

XIII. Cum hac autem nostra simplicissima simplicissimæ veritatis sententia duo hominum genera *Ἄγ. πρὸς τὸν* pugnant; Unum istam divinæ institutionis partem in Ba-

ptismo immutando; alterum ritus circa eam supersti-  
tiosos, eosq; plane idololatricos exercendo.

XIV. *Qui terrenam Baptismi materiam immutant, sunt*  
1. Seleuciani & Herminiani qui circa annum Christi 380. non  
aqua sed igne baptizandum contendebant, referente Philastrio  
de heres. cap. de Seleuc. & Augustino de heres. c. 59. 2. Pau-  
liciani qui pro elemento aquæ substituebant illa verba Christi:  
Ego sum aqua viva Ioh. 4, 14. 3. Iacobite qui circa annum  
Christi 390. loco aquæ baptismalis frontibus figuram crucis  
imprimebant, teste Bernhardo Luxemburgensi in Catal. hæ-  
ret. 4. Monachi quidam flagellantes dicti, qui non aqua, sed  
sanguine proprio eorū, flagellis excusso baptizandū esse delira-  
bant, annotante Trithe. in Chron. 5. Quidam sectatores  
Marci hæretici, qui baptizandos non ad aquam, sed ad liquo-  
rem ex oleo & aquâ mistum deducebant, eumq; capitibus il-  
lorum primū infundebant, postea opobalsamo inungebant.  
6. Manichei qui aquam ad Baptismum adhiberi volebant,  
propterea quod illa esset res corporalis, quam, ut cæteras, non  
Deus sed Diabolus procreasset, teste Augustino lib. de heres.  
cap. 46. 7. Illi omnes, qui vel in terra, vel in aere, vel in mul-  
so & medone, vel in lixivio, vel in cerevisiâ, vel in aqua rosa-  
cea, vel in jure carniū, alijsq; bullitis, vel in nive, glacie,  
grandine, rore & similibus baptizari posse delirabant, uti re-  
censet Holderus in Dubietat. pag. 83. & seqq.

XV. *Huc etiam referendum quod Beza scribit Epist. 2.*  
*ad Thom. Til. in oper. vol. 3. pag. 196. Desit aqua & tamen*  
Baptismus alicujus differri cum ædificatione non pos-  
sit, ego certè quovis alio liquore non minus ritè quam  
aqua baptizarim: quodq; alij Calviniani contendunt,  
qui in aphorismo illo Christi: Nisi quis renatus fuerit  
ex aqua & Spiritu &c. aquam non de elemento aquæ,  
sed



sed vel de verbo DEI, ut Gualtherus in homil. in Iohan. pag. 39; vel de agnitione CHRISTI & consolatione fidei, ut Cinglius lib. de Bapt. tom. 2. pag. 69. & 93; vel de gratia Dei, quæ mentem fidelium suaviter irriget, ac fecundet, ut Petr. Martyr. in Loc. Comm. Class. 4. cap. 9. Sect. 20; vel de renovatione cordis per Spiritum Sanctum facta, ut Bullingerus in Decad. Serm. 8. pag. 353; vel pro ipso Spiritu S. ut Calvinus lib. 4. Inst. cap. 16. artic. 25; accipiendam esse tradunt; cum tamen ipse textus clarissime ostendat, Christum vocabulum aquæ in propria & genuina sua significatione sumsisse, juxta illud σοιχεῖον Theologicum ex ἐπερω γῆ omnium Sacramentorum extructum: Sacramentorum materialia simpliciter & sine ullo tropo καὶ τὸ πῆτόν intelligenda sunt: Cum ipse scopus ac tenor verborum verè arguat de Baptismo CHRISTUM agere. Vult enim Nicodemo medium regenerationis ac salutis ostendere, quod nullum aliud quam Baptismus 1. Petr. 3, v. 21: Cum, inquam, verborum Christi optimum quoq; interpretem habemus, Organon puta ipsius electissimæ Apostolum Paulum, qui in Epist. ad Tit. 3, 5. clara & sonora voce Baptismum lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. appellat, hacque sua ἐξηγήσει ostendit, renasci ex aqua & Spiritu idem esse, quod per aquam Baptismi virtute Spiritus S. verè abluì à peccatis.

XVI. Illi qui circa aquam baptismalem idololatrias suos ritus exercent sunt Prælati seu potius Pilati Antichristi Romani, qui aquam in Baptismo adhibendam in vigilia seu Parasceve Paschatos & Pentecostes certis ritibus & exorcismis prius consecrant, quam postea vocant benedictam, ut videre est in Catech. Roman. pag. 380. Quæ certè res multis de causis & damnanda & execranda.

XVII. Equidem α. quia verbo, seu mandato Dei & exemplo CHRISTI & Apostolorum est destituta; imo horum exemplo plane contraria, qui homines, ut antea ostensum, in quovis praterfluente flumine, sine precedente consecratione baptizarunt.

XIIX. β. Quia impia & magica est. Dum enim aqua exorcisatur hoc presupponitur, ac si videlicet illa immunda & à demone occupata esset; cum tamen aqua non modo per se est creatura bona sed etiam per institutionem CHRISTI Baptisino consecrata, &, ut Augustinus loquitur, à CHRISTO loto lota, inò in actu ipso baptizandi per verbum Dei, per preces, & per Spiritum S. sanctificatur.

XIX. γ. Quia contumeliosa & blasphema est in sanguinem CHRISTI, qui duntaxat, [non Pontificiorum aqua exorcisata] ex τῆς λόγῃς κωνωνίαι hanc habet virtutem, ut ab omni peccato animas nostras purget, uti multa scripturae oracula, imprimis vero Ephes. 1, 7. & 1. Iohan. 1, 7. ad oculum demonstrant.

XX. Neq; alicujus est momenti quod illi prætendunt, ejusmodi consecratione, exorcisatione, aliisq; ritibus alias illis usitatissimis multa utiliter significari & doceri. Siquidem non debemus prudentiores esse JESU CHRISTO, qui omnes ritus quos adhiberi voluit ipse instituit. Et quid multis? Decor & dignitas Sacramentorum tantum ex verbo Dei est æstimanda, juxta illud Iehovæ pronunciatum: quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam nec minuas, Deut. 12, 32.

XXI. Huic autem modo à nobis explicatae materiae terrene intime quoq; aduniatur materia cœlestis necesse est. Omne enim Sacramentum N. fœderis, juxta Irenæum, constat ex duabus rebus, terrena & cœlesti.

XXII.

XXII. Verum in hujus materie assignatione non per omnia nostrates Theologi conveniunt. Quidam enim autumant in Baptismo tantum dari aquam cum promissione, sine quadam rei caelestis unione sicut olim in Circumcisione, in qua difficulter ostendi potest res quaedam caelestis distincta a promissione gratiae, quam alioquin ad causam finale referre solemus.

XXIII. Alij quandam quidem partem caelestem concedunt, attamen non uno eodemque modo illam definiunt: Nonnulli verbum mandati & promissionis; alij, ut imprimis Calviniani, sanguinem CHRISTI: alij Spiritum Sanctum: alij totam S.S. Trinitatem, nominant.

XXIV. Ut ergo in tanta Theologorum discrepantia, quid veritati maxime sit consentaneum appareat, dicimus quod altera pars Baptismi [sit alis omnino asserenda] neque in verbo mandati, quod ad causam efficientem pertinet; neque in verbo promissionis, quod ad finem & effectum refertur, omnibusque Sacramentis cum predicatione Evangelij commune est, sed necessario in verbis institutionis sit querenda, & ex illis evidenter deducenda, juxta regulam Theologicam: De Sacramentis & Sacramentorum partibus, non nisi ex verbis institutionis tanquam propria sede judicandum est. Verba autem institutionis sunt Matth. 28, 19: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S. Per verbum baptizate pars elementaris exprimitur, nimirum aqua, quoniam baptizatio non fit nisi aqua, interprete Christo Joh. 3, 5. Iam vero si altera quoque pars caelestis debet connotari, necessum est eam comprehendere verbis; In nomine Patris &c. Nam verba ista non tantum referuntur ad formam illam externam quae transiens actio est, sed una denotant quiddam permanens, adeoque pertinent ad materiam, circa quam versatur forma Baptismi.

XXV. Quapropter altera pars materialis in Baptismo nequit esse alia quam nomen totius S. S. Trinitatis in quo baptizamur. Ratio, ut breviter dicam, est, quia alias Sacramentorum utraq; pars continetur in institutione. Idem igitur de Baptismo statuendum. Iam autem nihil aliud, nisi nomen venerande Trinitatis materialem partem exprimere potest. Ergo.

XXVI. Et quamvis veneranda Trinitas sit causa efficiens, instituens ac ordinans hoc Sacramentum, nihil tamen impedit quominus dicamus nomen S. S. Trinitatis esse partem materialem alteram, cum verbum institutionis testetur Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. cum omnibus gratiæ beneficiis in Baptismo presentissime adesse, arctissimeq; cum aqua uniri.

XXVII. Nec est quod quidam urgent dictum Ioh. 3, 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, concludentes inde solum Spiritum S. esse causam materialem alteram: Siquidem 1. intelligitur ibi ejusmodi Spiritus qui est Patris & Filij ab utroq; ineffabiliter procedens. Duæ igitur istæ personæ simul includuntur. 2. Opera Trinitatis ad extra sunt communia; quare nominato Spiritu tota concurrat Trinitas. 3. A principali isto in loco facta est denominatio, quia Spiritus Sanctus  $\alpha\sigma\tau\omicron\varsigma$  ἐξ ὁχθῆν dicitur causa regenerationis nostræ, & hic actus in Scriptura illi primò assignari solet. Interim tamen reliquæ personæ non excluduntur, ut perinde sit, sive quis Spiritum S. sive totam Trinitatem Baptismi partem materialem alteram nominaverit.

XXVIII. Porro quod Calviniani & Beza in primis in Colloq. Mompelg. fol. 367. sanguinem Christi inter substantiales Baptismi partes relatum volunt, simplicioribus duntaxat fucum faciunt, merosq; fumos vendunt, quicquid hac de

re

re per quam speciosè crepunt strepuntq<sub>3</sub>. Non enim veram & realem intelligunt præsentiam, multo minus sanguinis Sacramentalem cum aqua unionem, cujus vi una & eadem dispensationis actione infans, mediante aqua, CHRISTI sanguine adspargatur & abluatur; sed nudam tantummodo putamq<sub>3</sub> sanguinis CHRISTI à Baptismo longissime absentis representationem. En ergo fucum.

XXIX. Et licet hæc ipsa sententia omni careret fucō [quod prob dolor apud Calvinianos nunquam sperandum] sunt tamen aliæ eæq<sub>3</sub> gravissimæ rationes quæ nos ab illa penitus retrahunt detrahuntq<sub>3</sub>. α. Enim nullibi in sacris literis aperte traditur quod sanguis CHRISTI partem substantialem eamq<sub>3</sub> cœlestem ὕλην in Baptismo constituat.

XXX. β. Nulla plane expressa ejus mentio in verbis institutionis Baptismi continetur, ut in verbis Cœnæ Dominicæ: ex quibus tamen solis, tanquam ex propria sede, de ejus substantia est judicandum.

XXXI. γ. Neq<sub>3</sub> etiam in scriptis B. Lutheri, aut aliorum venerandorum Patrum uspiam tales occurrunt sententiæ, quibus sanguis CHRISTI pro parte Baptismi ὕλην venditetur.

XXXII. δ. Quid quod ex hæc sententia tria maxima sequuntur inconvenientia. Nam α. hæc ratione quæstiones revera distinctæ de essentia [Matth. 28, 19.] & de efficacia Baptismi [Marc. 16, 16.] turpiter miscentur.

XXXIII. β. Cause nostræ justificationis, efficiens quæ est sanguis CHRISTI, & instrumentales, inter quas Baptismus etiam locum habet, perperam confunduntur.

XXXIV. γ. Πορίσματα adverse partis, quæ sunt: Sacramenta quoad substantiam non differre; analogiam Sacramentalem aquæ & sanguinis esse tantummodo ἁελυήν &

& significativam; Baptismum esse duplicem, alterum interiore per sanguinem Christi, alterum exteriorem per aquam: Item aquam Baptismi non esse regenerationis medium &c. non sine maximo Ecclesie Christi detrimento & affirmantur & confirmantur.

XXXV. Et quamvis hæc omnia ita se habeant, nos hisce tamen minime Redemptoris nostri sanguinem à Baptismo totaliter volumus exclusum, sed partim ratione substantiæ, partim ratione meriti & efficaciam ibi adesse asserimus.

XXXVI. Nam ratione substantiæ sanguis Christi omnino præsto est in Baptismo, & quidem non divisim, sed conjunctim. Adest enim totus  $\text{Ἰεσὺς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ}$  & secundum divinam & secundum humanam naturam, per quam ad dextram majestatis divinæ in excelsis exaltatam, jam in N.T. potentissime dominatur & in Ecclesia universa, & ex consequente, etiam in Baptismo, gratiose operatur.

XXXVII. Ratione meriti & efficaciam sanguis Christi itidem verè præsens est in Baptismo. Iste enim nos ab omni impuritate purificat. Purificationem autem adspersione sanguinis, h. e. applicatione meriti Christi, effusione sanguinis Christi fieri, universa scriptura testatur.

XXXVIII. Et tantum de Baptismi materia, cujus considerationem excipit porro formæ contemplatio.

XXXIX. Hæc æquè ut illa duplex: externa nimirum & interna.

XL. Formam baptismalem externam quod attinet, duo potissimum eam absolvunt; Unum est immersio baptizandi in aquam, vel asperio aquæ: Siquidem vocabulum baptismationis utrumque significat, ut admodum Reverendi & Clariss. viri, Dominus Præses Præceptor meus æternum honorandus Part. 2. Philosoph. Sobr. pag. 428.

&

te-  
ia:  
c.  
ur  
sce  
ro-  
æ.  
sti  
ed  
vi-  
m  
is-  
te,  
ri-  
ni  
n-  
nis  
ius  
ri-  
i-  
n-  
io-  
or  
s.  
ge

¶ 429: & Dominus D. Gerhardus Tom. 4. Loc. Theol. pag. 989 & seq. hos ipsum ad oculum, quod dicitur, ostendunt: ubi etiam vide. Atq; hinc liberum est Ecclesie vel immersione in aquam, vel adspersione aquæ uti, quemadmodum Cyprianus lib. 4. Epist. 7, Augustinus de dogmat. Eccles. cap. 74, & similes sancti Patres testantur.

¶ XLI. Prasertim cum utraq; tam immersio, quam adspersio tanquam antitypus typo suo optimè respondeat. Immersio quidem diluvio teste Petro 1. Epist. c. 3, 21, quæ simul symbolum & medium est regenerationis, quæ est veteris hominis demersio & novi emersio spiritualis, interprete Catechismo nostro: Adspersio vero sanguini pecuino sacrificiorum, quo tincti & adpersi fuerunt sancti Patres in V. Testamento, non immerfi, Exod. 24, 8.

¶ XLII. Hic autem non sumus scrupulosi fiatne ejusmodi immersio seu adspersio trina, ad significandum mysterium Trinitatis; an una tantum, ad exprimendam divinæ essentiae unitatem: fiatne in capite, an in facie; in pectore, an in toto corpore, sed teneamus regulam: Ordo benè in Ecclesia constitutus studio novitatis turbari non debet.

¶ XLIII. Alterum quod externam Baptismi formam absolvit, est verborum institutionis pronuntiatio, ita quidem ut clarè & significanter dicat minister: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.

¶ XLIV. Verbis Ego baptizo notatur non tantum actio ministri, sed etiam Dei, qui peculiariter baptizat, & cujus vice fungitur minister. Quod enim quis per alium facit, hoc ipse fecisse putatur.

¶ XLV. Particula TE ostendit applicationem quæ fit singulis

gulis baptizandis; & simul exinde infertur, neminem debere aut posse semetipsum baptizare.

XLVI. Verba illa in nomine five eius ὄνομα, in nomen magnam habent vim & emphasin: Unum nomen dicitur quoniam una eademque est Deitas personarum: Et notatur istis verbis 1. mandatum Dei. 2. Operatio Dei. 3. Invocatio veri Dei: 4. receptio baptizati in veram Ecclesiam, & obligatio ad puram religionem, quæ est de Deo triuno. 5. presentia & singularis gratia totius Trinitatis. Adest enim huic actui modo plane peculiari huicque Sacramento conveniente Deus Pater 1. Pet. 3, 21. Tit. 3, 5. Deus Filius Ephes. 5, 25. & 26. Rom. 6, 3. Gal. 3, 29. & Deus Spiritus S. Ioh. 3, 5. Tit. 3, 5.

XLVII. Atque hæc est simplex nostra de externa Baptismi forma doctrina, quam omnibus notam esse volumus, quæ simul discedimus ab omnibus qui illam ausu temerario mutarunt. Et 1. quidem ab illis qui tempore Apostolorum in nominetrium principiorum baptizarunt, ut colligere est ex 49. Canone Apostolorum. 2. à Gnosticis, qui in nomine ignoti Patris, in veritatem matrem omnium, & in nomine descendens Jesu Baptismum contulerunt, teste Iren. lib. 1. ca. 18. 3. à Marcionitis & Paulianistis qui in nomine Patris & Filij & Spiritus S. baptizandum negarunt, referente Innocentio Epist. 22. 4. ab Ariano, qui in solo Patre vero Deo in Jesu Christo Servatore & creatura, & in Spiritu S. utriusque serbo, baptismum administrarunt ut annotat Hieronymus adversus Luciferianos. 5. ab Eunomianis qui in mortem Domini baptizarunt, teste Socrate lib. 5. cap. 23. item in nomen Dei increati, Filij creati, & Spiritus sanctificati, & à creato Filio creati ut est apud Epiphanium tom. 2. lib. 3. heres. 76. 6. Ab ijs qui in nomine DEI & sanctæ crucis tinxerunt, annotante Bernhardo Epist. 340. 7. à Guilielmo, qui cap. 2. de Baptis. personis Trinitatis semper adjicit B. Mariam semper virginem. 8. à Zvinglio, qui non esse necessariam ullam certam verborum formam asserit lib. de ver. & fals. relig. cap. de Baptis. 9. à Confessione Argentinensis Ecclesie anni 39. cui subscripserunt Bucerus, Capito, Hedio & reliqui, quæ in art. 18. admonet concionatores, ut neminem baptizent, nisi hac particula vel expressa vel subintellecta: **Ego & Deus hunc baptizo secundum tuam electionem, & pro-**  
posi.



positum divinæ voluntatis tuæ, referente Zanchio Tom. 7. Oper. Theol. pag. 286. 10. Ab illis qui in nomine S.S. Trinitatis baptizare idem esse dixerunt ac baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus S. Nam Salvator noster non quovis modo baptizandum præcepit, sed primum dixit, docete, ac deinde baptizate in nomine Patris & Filij & Spiritus S. ut ex doctrina recta fides oriretur, & cum fide baptismatis integra initiatio perficeretur, ut habet Ambrosius Serm. 3. contra Arian.

XLII. Nec obstat quod Apostoli aliquoties in Actis leguntur baptizasse in nomine Domini Jesu: Non enim istis verbis describitur Baptismi forma, sed causa ejus efficiens, finis item sive effectus; ut in nomine Christi idem sit, quod ex institutione, autoritate, jussu, auspicijs, & voluntate Christi baptizare, qui Baptismus ab ipso solo suam habeat efficaciam atq; virtutem. Vide Tom. 5. Disput. Græc. Disput. 13. pag. 324.

XLIX. Quod autem Bellarminus lib. 1. cap. 3, Lutherum accusat, quod statuerit Baptismum ratum esse quibuscunq; verbis administraretur, modo in nomine Domini conferatur, mera fraus est & calumnia: Si quidem hoc tantum statuit, quod si nomen trium personarum exprimat [ hoc enim ipsi est in nomine Domini dispensare, ut ex utroq; Catechismo abunde constat ] satis sit sive quis dicat, baptizetur servus, ut volunt Græci; sive, Ego te baptizo, ut volunt Latini, quoniam hæc minime Baptismi essentiam ingrediuntur, sed ad circumstantias duntaxat pertinent.

L. Atq; hoc responsum Jesuita ibi quoq; observet, quando Brentio eandem quam Luthero affinxerat, sententiam calumniosè affingit. Nam quid Brentius hac in parte statuerit luculentissime ex ipsius Catechismo patet. Aperte enim inibi distinguit inter verba sensum immutantia & verba sensum non mutantia: illa rejecit; hæc, qualiacunq; sint, admisit, ita tamen ne quis temere soloq; arbitrio privato ea immutet: id quod certè fusiùs exinde demonstrari posset, nisi chartulæ angustia nos urgeret ipsamque formam baptismalem internam nobis considerandam jam nunc exhiberet.

LI. Est autem hæc nihil aliud quam ipsa partium Sacramentalium unio, hoc est, certa ratio sive habitudo aquæ ad S.S. Trinitatem; quæ ἕξις tota consistit in isto aquæ officio, ut cum tota Trinitate, & omnibus ejus beneficijs uniat, non quidem ὀμολογῶν vel signi-

significativè, non ἰσοτελευτῶς vel personaliter, sed ἰσοτελευτῶς seu singulariter, h. e. ita ut Trinitas cum aqua, & per aquam in hominibus qui baptizantur, regenerationem & renovationem efficaciter operetur, juxta scripturæ oracula Job. 3, 5. Ephes. 5, 27. Tit. 3, 5. I. Petr. 3, 21.

LII. Equidem Calviniani istam ἰσοτελευτῶν tantummodo in generali analogia, cuius dumtaxat est significare, consistere autumant, dum ita procedunt: Sicut aqua fordes corporis abluat, ita significat sanguinem CHRISTI qui interior adspargatur, abluere & purgare fordes animæ.


LIII. Sed sciendum est quod hic non attendatur aque proprietatis naturalis & vulgaris, quæ in mundando saltem est sita: sed usus ejus hic plane divinus est, verbo institutionis descriptus, & non ab aque conditione Physica, sed ex Dei verbo eam sanctificante dependens. Est enim medium divinum in hunc peculiarem usum verbo Dei segregatum, ut Sancta Trinitas cum eo aduniatur.

LIV. Et certe posset hæc ἰσοτελευτῶν Calviniana multis adhuc refutari; præsertim cum verbis Institutionis Matth. 28, 19; verbis Christi Job. 3, 5; verbis Pauli Ephes. 5, 26. Tit. 3, 5; verbis Petri I. Epist. 3, 21. pessimè contradicit, cum inquam Baptismi substantiam & usum Sophisticè confundit; verum, quoniam pagellorum defectus aliud postulat, nobis hic subsistendum esse judicamus.

LV. Ut ergo abrumpamus ad te Jesu Christe mentes oculosq; nostros elevamus, supplices orantes ut nobis Spiritum tuum Sanctum, clementissime largiri velis, quò hocce divinum divine tue gratiæ medium jam tandem & rectè cognoscamus, & cognito salubriter utamur ad nominis tui gloriam, & nostram tam temporalem quam æternam salutem, AMEN.








Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



LEGII  
R A M E N T I S  
to Decima  
De  
M I M A T E .  
F O R M A ,  
uam,  
J E H O V A H  
R Æ S I D I O  
A R I S M E I S N E R I  
ol. D. & P. P.  
ato examinandam,  
ponit  
S P E R L I N G I U S  
mnus Elect. Saxon.  
Octob. horis pomeridianis  
orio minori.  
BERGÆ,  
annis Gormanni,  
A, DC. XX

